



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta
præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs
Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXII.

3 Februarij. 3 Nonas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45295

92 ANNI CISTERCIENSIS
glebæ sibi conjungendæ avida, procul
à sepulchro, quod fratres effoderant,
se sponte ponè templi parietem aperu-
it: seu fortè id obsequij cœlestes Genij,
tanquam suo jam civi, præstitère. *Re-
voca ad vitam heu sæpe in peccatis emor-
tuam animam meam: effice me sollicitum
de illa tam gravis momenti hora. Doce me
vigilare semper, ne ulla hora me imparat-
um inveniat.*

S. BERNARDUS, ser. 28. de divers.

Prepa-
ratio
ad re-
gnum
DEI.

*Dignum valde est, & omnino exigit
ratio æquitatis: ut quibus à constitu-
tione mundi regnum paratur, ipsi e-
tiam regno parare se non negligant:
ne paratò regno inveniantur forsitan,
qui regnaturi erant, imparati.*

(☉)(☉)(☉)(☉)(☉)(☉)(☉)(☉)

3 Februarij. 3 Nonas.

Obijt
anno
1223.

B. HELINANDE: qui unà cum li-
teris imbibito vanitatis amore, ali-
quamdiu publicum histrionem egisti.
Mundum nempe ludebas: qui ne tibi
pro more suo tandem irreparabili da-
mno illuderet; in monasterio Frigidi
Montis mimicam cucullam in mona-
chalem convertisti: tragœdias dein-
ceps pro cothurno daturus, sed quibus
cœli-

cœlites applaudant. Sanè quàm dextrè olim in theatro Roscij, tam scitè in claustro Religiosi personam sustinebas. Et rem seriò agi, indicabant perennes lachrymæ, & cruda semper à flagris vulnera. Gemitus interpolabat lectio vel commētatio sacra: cujus insigne monumentum posteris præter alia reliquisti, Historiam à condito mundo ad tua usque tempora deductam. Hinc summorum virorum gratia florebas: sed apud DEUM majore; qui te signis prodigiosis ac sanctitatis fama celebrem ad cœlos evocavit. *Etiam in libro memoriæ meæ historiam scribe; non jam de rebus præteritis, sed novissimis. Legam & relegam, imminentem in singula momenta mortem: aspiciam tremendum Judicem, de quolibet verbo otioso ratiocinia exposcentem &c. Docebit utique liber iste præ cunctis alijs, historiæ scopum, qui est: rectè vivere.*

Scriptis claret.

Utilis historia de 4 Novissimis

B. PETRE: qui in monasterio Duenensi Prior constitutus tuæ curæ commissos exemplo & adhortatione ad magnam perfectionem deduxisti: id inter præcipuas curas ponens, ut instillares omnibus dignum suo Instituto amoris affectum erga Virginem Matrem. Cujus favores ut non rarò per vitam, ita vel maximè circa finem expertus

Obijt anno 1465.

*Mori-
būdum
Maria
cōsola-
tur.*

*Cantās
moritur*

*Spesfa-
lutis
Maria.*


*Totius
Univer-
si salus
Maria.*

pertus es; ab ea de migrationis hora præmonitus, & in ipsa lucta per ejus præsentiam recreatus. Et erat verè migrationis, non mortis illa species; dum sensus, ut erant ad despoticum Rationis imperium assueti, non priùs officium deseruere, quàm missione à te pro arbitrato accepta. Extrema enim illa hora appetente, totam Congregationem convocasti; suavi oratione datis olim monitis epilogum imponens. Ac dum illi inceptam à te Antiphonam, *O Intemerata*, cantando prosequerentur, exultantem spiritum emisisti. *Actum est de mea salute, si spes, & fiducia mea in Refugium peccatorum Mariam me destituat. Quod ut fieri non posse secure credam, confirmant me innumera, que ab omnibus retro seculis erexit, Misericordie sue trophæa. Sed ut ad ea fortasse non respiciam, fiduciam excitabit vel unus*

S. BERNARDUS, ser. 2. de Pentec.

Ad Mariam, sicut ad medium, sicut ad Arcam Dei, sicut ad rerum causam, sicut ad negotium seculorum, respiciunt, & qui in cælo habitant, & qui in inferno, & qui nos precesserunt, & nos, qui sumus, & qui sequentur

quentur, & nati natorum, & qui
 nascentur ab ipsis. Illi qui sunt in cæ-
 lo, ut resarciantur; & qui in in-
 ferno, ut eripiantur: qui præcesserunt,
 ut prophetæ fideles inveniantur: qui
 sequuntur, ut glorificentur.



4 Februarij. Pridie Nonas.

Obijt
 anno
 1201.

B CHRISTIANE: qui ut lubricæ
 juventutis tuæ delicta seriò deplo-
 rares; celebri pœnitentium palæstræ,
 monasterio Heisterbacensi te inclusisti.
 Ubi corporis vires fervori spiritûs lon-
 gè impares te mox destituisſent, nisi
 suppetias cœlum tulisset, & cum do-
 loribus alternasset solatia. Consueta
 orationis protelatione lassatum caput
 aliquando in Ecclesia super altaris pe-
 dem reclinans obdormieras; cum ad-
 fuit illico Salus infirmorum Maria, &
 unâ cum dolore somnum discussit.
 Subtractû per aliquod tempus donum
 lachrymarum cùm multis precibus à
 DEO frustra repeteres; devoto tandem
 S. Crucis osculo recuperasti. Quando
 te corporis debilitas à consortio Psal-
 lentium excludebat; spiritu tamen ijs-
 dem

*agrum
 sanat B.
 Virgo.
 donum
 lachry-
 marum
 recipit.*